

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CLXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

CLXXIII.

RUDOLFI I. IMP. DIPLOMA, QUO CASTRUM
MULBERG, FEUDUM IMPERII, A RUDOLFO MARCH.
BADENSI PROPTER NUPTIAS PERMITTIT
DONARI.

ANNO MCCLXXXVII.

Ex autographo Bada - Durlacensi.

Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Vniuersis
facri Imperii Romani fidelibus presentes litteras inspecturis, gra-
tiam suam & omne bonum, Ne res geste in obliuionis labantur caliginem,
expedit, ipsas scripturarum testimoniis perhennare. Ad uniuersitatis
igitur vestre noticiam presentibus volumus peruenire, quod spectabilis
Vir *RUDOLFUS Marchio de Baden Junior*, nobili femine *Adelheydi*,
sue Vxori legitime, fororis nostre de Ohfenstein, filie, dedit &
donauit mille Marcas argenti in dotem siue donacionem propter nuptias,
que vulgariter wideme appellatur, Et quia idem *Rudolfus* paratam pecuniam
non habebat, obligauit eidem *Adelheidi*, sue Vxori castrum *Mulenberg*,
cum omnibus suis attinenciis, quod à nobis & Imperio in feodum
obtinetur & obligationem huiusmodi fecit per manus nostras, tamquam
domini feodi & de nostro censensu simplici & expresso, ita quod eadem
Adelheydis Vxor sua, fororis nostre de Ohfenstein filia & sui heredes,
dictum castrum cum omnibus suis Juribus & attinenciis, non obstante
quod a nobis & Imperio tenetur in feodum, vt predictum est, tam diu
teneat & possideat, quousque sibi vel suis heredibus, dicte

mille marce fuerint perfolute. In cujus nostri consensus testimonium presentes litteras Maieftatis nostre sigillo fecimus communiri. Datum Heilprunne V. Kalend. Decembris, Ind. XV. Anno Domini M. CC. LXXX. septimo. Regni vero nostri anno quinto decimo. Nos autem *Rudolfus Junior, Marchio de Baden* predictus, predictarum mille marcarum donationem & predicti castri obligationem pro eisdem, vt premissum est, predictae *Adelheydi*, Vxori nostre legitime, per manus serenissimi Domini nostri Domini Rud. Romanorum regis & auctoritate sua & consensu suo, nos fecisse, presentibus publice protestamur. Testes, qui huic donationi & obligationi interfuerunt, sunt venerabilis H. Archiepiscopus Moguntinus, Cunradus Arnentinenfis Episcopus, nobiles viri *Hesso, Marchio de Baden*. Eberh. de Catzenellenboge Comes, & quamplures alii fide digni. Et nos testes superius annotati, ad preces predicti Rudolphi, Marchionis de Baden, sigilla nostra vna cum serenissimi Domini nostri domini Rudolphi Romanorum Regis sigillo & suo presentibus duximus appendenda. Datum Heilprunne, Anno Domini, die & Indictione prescriptis.

||
(L. S.)
Rudolfi Regis.

||

||

||
(L. S.)
Eberh. Com. de Catzenellenboge.